

Penitencia A

Penitencia aboleri peccata indubitanter credimus et in ultimo vite spiritu si admissorum peniteat.

Augustinus de ecclesiasticis dogmatibus capitulo 48.

Penitencia B

Melius est modica amaritudo infantibus quam eternum tormentum in visceribus.

Augustinus libro de decem cordis.

Penitencia C

In tribunal mentis tue ascende contra te, et reum te constitue ante te, noli te ponere post te, ne Deus te ponat ante te.

Augustinus in libro de utilitate agende penitencie.

Penitencia D

Nolite negligere quod vos pius Dominus peccantes sustinet, quia quanto diutius expectat ut emendetis, tanto gravius iudicabit si neglexeritis.

Augustinus ibidem.

Penitencia E

Sunt multi quos peccare non pudet, O incredibilis insania, de vulnere ipso non erubescis et de ligatura vulneris erubescis! Nonne vulnus fetidum et putredum est; confuge ergo ad medicum, age penitentiam, dic iniquitatem meam ego agnosco et peccatum meum contra me est semper, tibi soli peccavi, quia tu solus sine peccato.

Augustinus super Psalmum 5.

Penitencia F

Iusticia de celo prospexit tamquam Dei dicentis. Parcamus huic homini, quia ipse sibi non peperci agnoscamus, quia ipse agnoscit, conversus est ad puniendum peccatum suum, convertar et ego ad liberandum eum.

Augustinus super Psalmum 84.

Penitencia G

Ad agendam penitentiam non sufficit mores in melius commutare et a male factis recedere nisi et de his que facta sunt satisfacias Deo per penitencie dolorem, per humilitatis gemitum per contriti cordis sacrificium cooperantibus elemosynis.

Augustinus in libro de penitencia.

Penitencia H

Iugum meum leve est, et sarcina mea levis hec sarcina non est pondus onerati, sed ale sunt volatori, habent enim et aves pennarum suarum sarcinas et quidem portant illas in terra, portantur ab illis in celum.

Augustinus super Psalmos.

Penitencia I

Inanis est penitencia quam sequens culpa coinquinat, nichil prosunt lamenta, si replicantur peccata. Nichil valet a malis veniam poscere et mala de novo iterare.

Augustinus in soliloquiis.

Penitencia K

Penitencia languores sanat, leprosos curat et mortuos suscitatur, sanitatem auget, gratiam conservat; claudis gressum, aridis copiam, cecis restituit visum; vicia fugat, virtutes exornat, mentem munit et robarat.

Augustinus libro de penitencia.

Penitencia L

Qui per penitenciam peccata diluit, angelice felicitatis consors in eternum erit.

Augustinus libro de mirabilis sacre scripture.

Penitencia M

Si quis positus in extrema necessitate sue egritudinis volverit accipere penitenciam, et accipit et mox reconciliabitur et hinc vadit, fateor nobis, non illi negamus quod petit, sed non presumimus quod bene hinc exit, si securus hinc exit ego nescio, penitenciam dare possumus, securitatem aut non. Non quidem dico damnabitur, sed nec dico liberabitur. Vis ergo a dubio liberari? Tene certum et dimitte incertum. Age penitenciam dum sanus es, si sic agis, dico tibi quod securus es, quia penitenciam egisti eo tempore quo peccare potuisti. Si vis agere penitenciam quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt non tu illa.

Augustinus sermone 36.

Penitencia N

Quia rogare illos non delicti penitencia sed mortis urgentis ammonicio compellit nec dignus est in morte accipere solacia, qui se non cogitavit moriturum.

Augustinus ibidem.

Penitencia O

Quem enim morbus urget et pena terret ad veram vix veniet satisfactionem, maxime cum filii quos illicite dilexit sint presentes, uxor et mundus ad se vincent, multos enim solet serotina penitencia decipere.

Augustinus ibidem.

Penitencia P

Peccavit David quod solent reges, sed puniam gessit, flevit ingemuit quod non solent reges confessus est culpam et obsecravit indulgenciam.

Ambrosius de David libro 1.

Penitencia Q

Quod David peccavit condicionis est, quod supplicavit correctionis. Lapsus communis, confessio specialis, culpam itaque incidisse nature est, dolere se virtutis.

Ambrosius ibidem.

Penitencia R

Egressus malicie virtutis operatur ingressum eodemque studio quo crimen excluditur innocencia copulatur.

Ambrosius de Caim et Abel libro 1.

Penitencia S

Qui penitentiam agit paratus debet esse ad opprobria perferenda iniuriasque subeundas, nec commoveri si quis ei peccati sui crimen obiiciat.

Ambrosius libro de Ioseph capitulo 36.

Penitencia T

Nichil peccare solius Dei est emendare sapientis et corrigere erratum et penitentiam agere de peccato, id tamen difficile est in hac vita homini. Quid enim tam rarum, quam ut invenias virum qui se ipsum coarguat et factum condemnet suum. Rara itaque confessio de peccato, rara penitencia, rara in hominibus verbi huius assertio; repugnat enim natura, repugnat verecundia, natura quia omnes sub peccato qui carnem gerit culpe obnoxius est, ergo repugnat natura carnis et illecebra seculi innocencie integritatique. Repugnat eciam verecundia quia erubescit unusquisque propriam culpam fateri dum presencia magis quam futura cogitat.

Ambrosius epistola 3. ad Simplicianum.

Penitencia U

Fidelior factus est Petrus postquam fidem se perdisse deflevit, atque ideo maiorem gratiam repperit quam amisit.

Ambrosius in sermone ad vincula.

Penitencia X

Quando sic penites, ut tibi amarum sapiat, in anima quod ante dulce fuit in vita, et quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in corde, iam tunc bene ingemiscis ad Deum.

Ambrosius in quodam sermone.

Penitencia Y

Amaritudinem radicis dulcedo pomi compensat, pericula maris spes lucri delectat dolorem medicine spes salutis mitigat. Qui desiderat nucleum, frangit nucem, penitentiamque agit qui vult eterno adherere bono. Preconia Christi narrare possunt qui ad palmam indulgentie meruerunt pervenire.

Hieronymus super Mattheum super illud: Penitemini et credite ewangelio et cetera.

Penitencia Z

Apud Deum non tam valet mensura temporis quam doloris, non abstinencia tam ciborum quam mortificacio viciorum, propter quod tempora penitencie pro fide et conversacione penitencium abbrevianda precipiunt et pro negligencia protelanda existimant cum pro quibusdam culpis modi et pro negligencia protelanda existimant cum pro quibusdam culpis modi penitencie sunt impositi.

Hieronymus in quodam sermone.

Penitencia AB

Necessaria est penitencia que aut equet crimina aut certe excedat.

Hieronymus in epistola ad Susanam.

Penitencia AC

Cum mentem Deus ingreditur, constat proculdubio quod mox penitencie gemitus sequatur, ut ei iam salubriter flere libeat que prius in iniquitatibus flenda iocunditate gaudebat, sed quo uberius culpa fletur, eo altius agnicio veritatis attingitur, quia ad videndum lumen interne bonitatis polluta dudum consciencia lacrimis baptizata renovatur.

Gregorius 27. moralium.

Penitencia AD

Apud misericordie iudicem nec ille fallax habebitur qui ad veritatem revertitur etiam postquam mentitur, quia omnipotens Deus dum libenter nostram penitentiam suscipit, ipse suo iudicio hoc quod erravimus abscondit.

Gregorius homelia 29. super ewangelia.

Penitencia AE

Quot habuit in se oblectamenta, tot de se invenit holocausta, convertit ad numerum virtutum numerum criminum, ut totum serviret Deo in penitencia, quicquid ex se Deum contempserat in culpa.

Gregorius homelia 33. super ewangelia.

Penitencia AF

Qui mala que perpetravit insinuat sed flere que insinuaverat recusat, quasi subducta veste vulnus detegit, sed torpente mentem medicamentum vulneri non apponit.

Gregorius libro 8. moralium.

Penitencia AG

Fit plerumque gravior, Deo amore ardens vita post culpam, quam in securitate torpes innocencia.

Gregorius in pastorali capitulo 52.

Penitencia AH

Cum in gravi peccato miser homo labitur, suadet ei diabolus ne peniteat, ne confiteatur peccatum leve et modicum in corde affirmat, misericordiam predicat longum spacium vite promittit, permanere in peccato suggerit, ut sic in contemptum Dei et desperationem sui inducat et pereat.

Gregorius in quadam homelia.

Penitencia AI

Unusquisque consciencia convenitur, ut tanto maiora querat bonorum lucra per penitentiam, quanto graviora intulit damna per culpam.

Gregorius super illud Matthei 3: Facite fructum penitencie digni.

Penitencia AK

Qui vere penitet, laborem penitencie non abhorret, sed quicquid sibi pro culpa quam odit iniungitur, tacita consciencia amplectitur.

Gregorius in homelia quadam.

Penitencia AL

Deus et si penitenti veniam spondit peccanti tamen crastinum non promisit.

Gregorius ibidem.

Penitencia AM

Quidnam maius miraculum, quam tot iuvenes, tot adolescentes, tot nobiles, universi denique quos hic video velut in carcere aperto tenentur sine vinculis, solo Dei timore confixi, quod in tanta afflictione perseverant penitencie ultra virtutem humanam supra naturam contra consuetudinem?

Bernardus in sermone quodam.

Penitencia AN

Equum indomitum flagella domant animam immitem contricio spiritus et assiduitas lacrimarum.

Bernardus in quodam sermone.

Penitencia AO

Nunc lavandi tempus est, nunc purificationem patet esse necessariam, quoniam nemo mundus a sorde, nec infans cuius vita est unius diei super terram.

Bernardus in quodam sermone.

Penitencia AP

Quid levius onere penitencie, quod non solum onerat sed portat omnem cui importandum imponitur. Mirum opus nature, unde grossessit massa, inde sarcina levigatur et quantum crescit in massa, tantum decrescit in pondere.

Bernardus in epistola 72.

Penitencia AQ

Qui perfecte senserit onus peccati et anime lesionem aut parum senciet aut ex toto non senciet corporis penam, nec reputabit quo peccata noverit deleri preterita et caveri futura.

Bernardus in quodam sermone.

Penitencia AR

Fugite, inquit, de medio Babilonis et salvate animas vestra et volate ad urbes refugii, ubi possitis et de preteritis agere penitenciam et in presenti obtinere gratiam et futuram gloriam fiducialiter prestolari. Non vos retardet consciencia quia ubi peccata abundaverunt, superabundare consuevit et gratia nec penitencie austeritas ipsa deterreat, nec enim condigne sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam et preteritam culpam que remittitur, nec ad presentis gratiam consolacionis que immittitur, non ad futuram gloriam que promittitur. Si verbis non creditis, operibus credite, exemplis acquiescite plurimorum, currunt undique peccatores ad penitenciam et natura pariter et consuetudine delicati, nil credentibus impossibile, nil amantibus difficile, nil asperum mitibus, nil humilibus arduum reperitur, quibus et gratia sic in auxilium et obedienti devocio lenit imperium.

Bernardus in quodam sermone.

Penitencia AS

Si erramus parvam penitentiam imponendo, melius est de misericordia Deo rationem reddere quam de austeritate, ubi enim paterfamilias est largus dispensator non debet esse avarus, et si Deus benignus ut quid sacerdos austerus.

Chrysostomus super illud Matthei 23: Onera gravia.

Penitencia AT

Circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus, audiant te homines parva mandantem et gravia facientem.

Chrysostomus ibidem.

Penitencia AU

Numquam spernit Deus penitentiam si ei sincere et simpliciter offeratur, et si ad summum quis perveniat malorum et inde tamen velit reverti ad virtutis viam suscipit libenter et amplectitur, non enim temporis longitudine sed affectus sinceritate penitudo pensatur.

Chrysostomus in libro de reparacione lapsi.

Penitencia AX

Latro ille qui pendebat in cruce non eguit prolixitate temporis, ut ingressum paradisi meretur, sed tantum ei spacii suffecit quantum expedi potuit, donec unum posset proferre sermonem, ita ut intra unum momentum temporis tocius vite sceleribus absolutus precedere ad paradisum eciam apostolos meretur.

Chrysostomus ibidem.

Penitencia AY

Non dolore quia peccaveris magis indignari atque irasci facit Deum quam illud peccatum, quod ante perpetraveras.

Chrysostomus homelia 32. super Mattheum.

Penitencia AZ

Tales sunt qui grave pondus venientibus ad penitentiam ponunt, quia dicunt et non faciunt, et sic dum pena penitencie fugitur, pena peccati futura contemnitur. Si enim fascem super humeros adolescentis quam non potest baiulare posueris, necesse habet ut aut fascem eiiciat aut sub pondere confringatur sic et homini cui grave pondus penitencie imponis, necesse est ut aut penitentiam reiiciat aut suscipiens dum sufferre non potest, scandalizatus amplius peccet.

Chrysostomus super illud Matthei: Alligant onera gravia.

Penitencia BA

Clerici peccantes difficile penitentiam agunt, erubescit enim aliquando fieri reus qui semper fuerat iudex.

Chrysostomus ibidem.

Penitencia BC

Non est grave cadere luctantem, sed iacere deiectum. Non est perniciosum in prelio vulnerari, sed post vulnus acceptum desperatione curandi medelam ulceri denegare. Sepe eciam athletas videmus post frequentes lapsus et deiectiones plurimas coronatos, militem quoque scimus post multas fugas virum fortem fuisse et vicisse victores.

Chrysostomus in epistola ad Heliodorum monachum.

Penitencia BD

Sicut in preceptis medicine medicamentum quidem multas herbas recipit, unam autem dominantissimam, sic in penitencia elemosyna dominancior et potencior est et universum ipsa conficit.

Chrysostomus in quodam sermone.

Penitencia BE

Quis aliquando videt clericum cito penitentiam agentem et si deprehensus humiliaverit se, non ideo dolet quia peccaverit, sed confunditur quia perdit gloriam suam.

Chrysostomus super Mattheum.

Penitencia BF

Penitencia est medicamentum vulneris, spes salutis, per quam peccatores salvantur, per quam Deus ad misericordiam provocatur, que non tempore pensatur, sed profunditate luctus et lacrimarum, penitencia autem non mensium ac temporum cursu pena pensatur, sed pena qua anima cruciatur et mortificatur caro.

Isidorus libro 3. de summo bono.

Penitencia BG

Iugum meum suave est et onus meum leve. Quid iugo Christi suavius? Quid onere levius? A scelere abstinere, bonum velle, omnes amare, nullum odisse, eterna consequi, presentibus non capi, nolle inferre alteri quod sibi perpeti sit molestum.

Isidorus super Mattheum.

Penitencia BH

Penitencia appellata quasi puniencia eo quod ipse homo in se penitendo punit quod male admisit. Tria enim que sunt in percussione pectoris, id est pectus, sonus et manus; significant quod penitencia est de his que mente, voce et opere peccavimus.

Hugo libro 3. de misteriis ecclesie.

Penitencia BI

O penitencia! Qui de te novi referam? Omnia ligata tu solvis, omnia clausa tu referas, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas.

Cyprianus de laudibus penitencie.

Penitencia BK

Senario Psalmorum personam penitentis aptavit, quia sexta die homo creatus Christus pro peccatis crucifixus, in ipso die primus homo peccavit.

Cassiodorus super Psalmum 6.

Penitencia BL

Quid enim meruit latro, ut sic paradisum velociter introiretur? Quid publicanus qui repente de templo absolutus exivit? Ipse dedit confessionis subitum votum qui donavit et premium.

Cassiodorus super illud Psalmi: Pro nichilo salvos faciet illos.

Penitencia BM

Quis in seculo peccavit enormius Paulo? Quis in religione gravius Petro? Illi tamen per penitentiam meruerunt assequi non solum ministerium, sed magisterium sanctitatis, memor igitur misericordie quam filio prodigo revertenti pater ewangelicus legitur impendisse et illud: Nolite ergo ante tempus iudicare quousque veniat Dominus et cetera. Nam multa sunt que de iudicio Dei homines ignorant, quia fortasse qui vos laudatis ille reprehendit, et que vos reprehenditis ille laudabit.

Petrus Ravenniensis in quodam sermone.